



~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-51. ———
SIGNAT. MDCCCXIII.



I. N. D. N. J. C.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De

JUSTIFICATIO.
NE HOMINIS PECCATA
TORIS CORAM DEO,

Quam

Annunte Supremo Numine
IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTEBERGENSI
PRÆSIDE

VIRO PLURIMUM RIVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO,
EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNES MEISNERO,
S.S. Theol. Doctore longè celeberrimo, ejusdemq;
Professore Publico, Alumnorum Electoralium Ephoro
gravissimo & h. t. Academiae Rectore,

Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore suo omni
honoris & observantia cultu perpetim devenerando,
Publica Eruditorum Disquisitioni
subjicit

SAMUEL SERPILIUS,

CESAREO FORO-UNGARUS

Autor-Respondens

IN AUDITORIO MAJORI

Ad diem 26. Octobris, Styl. Vet. horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribent JOHANNES RÖHNERUS, Academ. Typogr.
ANNO M. DC. LII.

Si dilecto mittet Johan Serpilis Junr

cl. Dno M. Pfeifer

h. III. 1825



V I R I S

Nobilissimis, Amplissimis atq; Consultissimis

DN. JOHANNI VVOLFANGO *Nichinger*/ Celeberrimæ Urbis Imperial. Ratisbonen. Civi eminentissimo.

DN. JACOBO *Glas*/ Consulari Lib. Regiæq; Civitatis Bartphen. gravissimo, respectivè Dn. Patri plur. honorando.

DN. GEORGIO *Treitler*/ Lib. Regiæq; Civitatis Eperrenf. Civi & Negotatori ipectato.

Dnn. Fautoribus ac Promotoribus suis suspiciendis atq; colendis

Salutem & successus ex voto.

Articulum de *Justificatione* Hominis peccatoris magnum illum Oceanum si quis dixerit, veritatis limites non transgressurum arbitror. Quippe omnia ea quæ in salutis nostræ negotio discimus, ad hunc Articulum collimant, & in eo tanquam Compendio comprehenduntur. Rectissimè itaque D. Lutherus in enarratione argumenti super Epistolam ad Galatas pronunciavit: *Amisso Articulo Justificationis, amissa est simul tota doctrina Christiana.* Hoc salutis æternæ dogma Deus clementissimus à primis orbis conditi incunabulis humanum genus, in peccatum prolapsum, docere cœpit, tandemque literis, ut ad posteros propagaretur, consignari jusfit, ex quibus fontibus hæc quoque Disputatio hausta. Cum autem, *Viri Nobilissimi, Amplissimi*, apud me oblitterata non sit beneficentiæ vestræ in promovendis studiis meis Academicis, memoria, *Vestri* sub clarissimi *Nominis* inscriptione eandem nunc in publicum emittere volui, ut exstaret erga *Vos* gratitudinis meæ publicum testimonium. Sed & Affinitas, quâ pars *Vestrum* mihi juncta, ut facerem, me extimulavit, & calcar addidit urgentissimum. Accipite ergò, *Viri Eminentissimi*, hoc quicquid est chartarum serer à fronte, mihiq; deinceps benevolè favere ne detrectetis. Deus *Vobis Vestrisq;* benefaciat, vitæ concedat longævitatem, sanitatis incolumitatem & coronæ subsequituræ, quam avidè expectamus & anhelamus, gloriæ perpetuitatem. Scripsi Wittebergæ die 20. Octobris. Anno 1652.

Vestrarum Nobiliss. Amplitud.

studiosiss. observantiss.

SAMUEL SERPILIUS SS. Theol. Stud.



I. N. J. C.

Prooemium.



Anta est impietas generis hu-
mani, ut non tantum sese quotidie variis ac
foetidis maculis contaminet; sed & ipsi Deo
ejusque Verbo Sacrato in os quasi contradice-
re non erubescat. Prævidit hæc Spiritu S. il-
luminatus Simeon, inquit: *Ecce positus est
hic in ruinam & in resurrectionem multorum in
Israel, & in signum cui contradicitur*, Luc. II, 34. Prædixit id-
ipsum ipse æternus Dei Filius; (qui est *ipsa veritas* Joh. XIV, 6.)
*Ne putetis me venisse immisurum pacem in terram; non veni im-
missurus pacem, sed gladium*, Matth. X, 34. Luc. XII. 51. Quibus
tamen verbis Christus non indicat, se & Evangelium suum na-
turam suam esse malum atque perniciosum, sive peccatum opera-
ri, nam quomodo quod natura bonum est, malum operaretur? Nul-
la certe perditionis culpa residet vel peres Christum, vel pe-
nes doctrinam suam: Sed prævidens Hominum insignem
malitiam vicinatur, quantum nempe mali per ipsorum im-
pietatem est via & Evangelii bonitate venturum. Quam bonum
enim est Evangelium Christi, tam mali sunt Homines, qui cum
nequeant propter impietatem suam ferre Evangelium, nihil
non disfidiorum moliantur, ut Evangelium, & eos, qui Evan-
gelio fidem habent, opprimant. Nam sicut mel per se dul-
ce est, ex constitutione naturali; ægrotis tamen per accidens
fit amarum, ob prædominantes vitiosos humores: Ita fit, ut id
quod omnibus odor vitæ ad vitam esse debebat, fiat odor
mortis ad mortem. Miratur id quoque S. Augustinus lib. 3.
A 2 con-

contra Pelag. c. 23. inquit: *Illud mirabile est, quod, cum essent Apostoli bonus odor Christi, traheretur inde bonum, traheretur inde malum, aliis enim odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem, cum ille odor non esset usus mali, sed boni.* Hæc adhuc quotidie (*proh dolor!*) abunde impleri, ipsa experientia, rerum Magistra, satis superque testatur. Nam tot hodiè hæreticorum Christo contradicentium genera, ut ferè numerus eorum sit innumerus. Hos inter non facilè postremum locum sibi vendicant Architecti Romani Pontificis, acerrimi hostes Christi ejusq; meriti, (*contra quos Disputatio præsens primario directæ*) qui nos nequaquam solâ apprehensione meriti Christi, a deoq; solâ fide salvari posse, sed nos ipsos, viribus arbitrii & bonorum operum exercitio indefesso, vitam æternam promereri debere, garrunt. Quod ut obtineant, dum Scripturam S. depravandi illis præcluditur aditus, ad quæ non illicita confugiunt mediâ? gladio corporali scilicet, juxta vaticinium Christi, contra tamen exemplum Apostolorum & ipsius Christi Luc. IX. 55. savientes pios persequendo. Nos tamen *Gl. dio, spirituali ancipiti* Heb. IV. 12. Verbo DEi cincti, ipsos aggredi nequaquam veremur: quæ propter præsentem hancce Disputationem DE JUSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO publicæ disquisitioni atque Examini submittimus: hæc a. methodo eandem brevissimè comprehensuri: Primò veram & orthodoxam sententiam ponemus, eandemq; firmis Scripturæ S. dictis confirmabimus. Deinde, Heterodoxorum opinionem ob oculos statuemus. ac argumenta in forum brevibus refutabimus. Ô Jehovah dirige conatus nostros, ut cedant in nominis Tui divini gloriam, Ecclesiæ incrementum, propriamq; animarum salutem per Christum Jesum Redemptorem nostrum Amen!

Thesis. I. Priusquam rem ipsam aggrediamur, ante omnia Status Controversiæ rectè formandus: partim quia prima & summa hæc doctrinæ Christianæ pars, Scholasticis & spinosis questionibus ac definitionibus, hætenus à quibusdam obscurata magis, quàm illustrata, quales querelæ multæ etiam inter ipsos Pontificios extant: partim quia Pontificii hæc in parte
excel-

excellunt, ac more consveto, relicto vero Statu Controversiæ, ad inanem λογισμαχίαν dilabuntur, suumque refugium magis in verbis, quàm rebus quærunt. Sit exemplò Synodus Tridentina, in quâ (ut ipsi narrant) salutaris hæc doctrina de Justificatione Hominis peccatoris coram Deo per septem menses, centum congregationibus, variisque aliis Colloquiis ac Disputationibus, agitata fuit; sed re penitiùs inspectâ, prodit, ipsos magis de verbis, quibus imperitis fucum facere possent, quàm de rebus ipsis fuisse sollicitos: ac tandem profusâ liberalitate anathematum, damnata est ea, quæ est omnium Prophetarum & Apostolorum doctrina, nempe, hominem justificari & recipi ad vitam æternam solâ imputatione meriti Christi.

II. Esto igitur Status Controversiæ principalis hic: Non quæritur, an credentes, acceptâ remissione peccatorum fide propter Christum, etiam renoventur Spiritu mentis suæ: Nec, an renovatio etiam pertineat ad beneficia Christi: Nec, an in homine justificato oporteat existere pœnitentiam, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & sequi bona opera? Hæc enim concedimus, imò hodieque affirmamus, ac in Ecclesiis nostris docemus & sedulò urgemus: Sed hæc principalis quæstio est; An homo peccator possit cum Deo redire in gratiam, atque ad vitam æternam aspirare, si exclusis omnibus operibus bonis, solâ tantùm fide apprehendat meritum Christi, & ob id credat, Deum se recepturum in gratiam. Hoc Nos, contrâ negantes Pontificios, firmiter affirmamus atque propugnamus, freti Scripturæ S. apertissimis testimoniis.

III. Est autem *Justificatio actio Dei, quâ homini peccatori fide meritum Christi apprehendenti, ex merâ gratiâ peccata remittit, & ad vitam æternam acceptat.* Sumitur autem vox *justificare* (cui opponitur *condemnare*) in significatione forensi, ut sensus sit; à peccatis & omnibus peccatorum pœnis atque suppliciis absolvi & justum pronounciari. Hoc sensu sumitur Prov. XVII. 15. *Qui justificat impium & condemnat justum.* Esa.

V.23. *Vae, qui justificatis impium.* Rom. VIII.33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est qui justificat.* Confer Exod. XXIII.7. Deut. XXV.1. Psal. CXLIII.2. Matth. XII.37. Luc. XVIII.14. Hoc autem sensu hic loci sumi probo: Gen. XV 6. Rom. IV.23. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Rom. V.19. *Per unius obedientiam justii constituimur multi.* II. Cor. V.21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Confer Rom. III.20.24.26.28.30. Rom. V.1.9. Rom. VI.7.1. Cor. I.30. I. Cor. VI.10.11.

IV. Negant hanc significationem Pontificii, dicuntque verbum *justificare* propriè notare talem motum sive mutationem ab injustitiâ ad justitiam, sicut quando in Phisicis motibus una qualitas expellitur, & alia introducitur. Sed quâ fronte hanc nostram de Justitiâ Christi imputatâ doctrinam damnent, quivis videt, cum in negotio pari satisfactiones Sanctulorum suorum non nisi per imputationem aliis prodesse statuant; arbitrantur enim se liberatum iri à pœnis, si modò merita Sanctorum ipsis Pontifex applicet & imputet. Ejiciant ergò prius trabem ex oculis suis, post nostram nobis eximant festucam Boni Viri. Vix etiam credibile est apud probatos Autores in latinâ linguâ extare tale exemplum, quòd *justificare* significet, vel imbuerè aliquem habitu Justitiæ, vel infundere qualitatem justitiæ. Et licet possent adducere ex prophanis Autoribus exemplum tale, tamen nondum concederemus ipsis, quia S. Scriptura aliam significationem ignorat, nobis verò ut aliàs, ita præsertim in rebus ad salutem spectantibus, cum S. Scripturâ loquendum.

V. Adducunt quidem loca S. Scripturæ, quæ de justitiâ inhærente loqui arbitrantur, ut potè Apoc. XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Verùm nihil hoc in loco inveniunt, quod ad stabiliendâ ipsorum erroneam sententiam conducatur; Johannes enim expressè distingvit inter justificationem & sanctificationem. Facit id ipsum etiam Paulus I. Cor. VI.19.20. Nec obstat, quòd justificati jubeantur adhuc justificari, cum remissio peccatorum non sit mutila: respicit

cit enim S. Johannes renatos quatenus in carne ipsorum adhuc habitat peccatum, quod sæpè captivat ipsos, ut in multis offendant. Confer Rom. VII. 18. 19. Sicut igitur illi quibus remissa sunt peccata, quotidie petunt: *Dimitte nobis debita nostra*: eodem etiam modo, qui justus est, justificetur adhuc; perpetua enim in hac vitâ est illa Apostoli adhortatio II. Cor. V. 20. *Reconciliemini Deo*. Tandem, vocula *ἐτι* (*adhuc*) non significat justificationis incrementum, sed continuationem & perseverantiam. Ubi sensus militat talis: *Qui justus est, justitiâ Christi per fidem apprehensâ, justificetur adhuc*, i. e. justificationem suam fide perseverante continuet. Particulam verò *ἐτι* (*adhuc*) non notare incrementum qualitatis; sed actionis vel passionis continuationem, atq; idem valere quod porro, vel ultrâ præteritum aut præsens tempus, probo ex hoc ipso capite XXI. 3. *In vita aeterna non erit ἐτι, porro anathema ullam*. Apoc. XX. 1. *Prima terra & mare ἐτι non existebant*. v. 4. *In cælo neq; luctus neq; clamor erit ἐτι*. Cap. XX. 3. *Draco conclusus est in abyssum, ne ἐτι seduceret quenquam*. Et hoc solemne significatum est totius libri Apocalyplici. Vid. Apoc. X. 6. Cap. XVIII. 11. 14. 21. 22. 23. Joh. IV. 35. Cap. XIII. 33. Et licet hæc verba de inchoatâ novæ obedientiæ (inhærente) Justitiâ intelligerentur, doctrinæ tamen de gratuitâ hominis justificatione dicam scribebant nullam. Quæ namq; foret consequentia? Justitia inchoata capit magis & minus, intenditur & remittitur, Ergo & justitia salvans: Hæc certè in instanti fit, tegendo peccata universa, & justitiam Christi per fidem imputando: Altera verò illa suos habet progressus, & interdum crescere deprehenditur, interdum decrescere.

VI. Habent adhuc alium locum in quo robur suum locant, nempe Rom. V. 18. 19. *Sicut per unius delictum in omnes homines reatus venit ad condemnationem, ita per unius justitiam beneficium redundavit in omnes homines, ad justificationem vitæ*. Vid. Bellarm. lib. II. de Justif. c. III. Verùm & hic locus parùm patrocinator Pontificiis: membra enim applicationis non per omnia respondent; quia aliàs & hoc sequeretur: Sicut per carnalem

nalem generationem propagatur in nos culpa Originalis; ita per carnalem generationem propagatur in nos Justitia coram Deo valens. Proferunt quidem & alia dicta S. sacra, puta Eph. IV. 24. Col. III. 10. sed hæc non de Justificatione, sed Sanctificatione & renovatione agunt, quæ est consequens Justificationis, quia hominem jam conversum demùm sequuntur tales habitus infusi sanctificationis; qui tamen non ita nobis inhaerent, ut viribus nostris nos ipsi possimus gratiam Dei promereri.

VII. Imò his argutiunculis seipsum stringunt & conficiunt, ita enim contra seipsum Adamus Conzen ex Rom. III. 27. non malè concludit q. 1. p. 175. *Illam justitiam, quæ materiam præbet justo de suis operibus & virtutibus gloriandi, vera non est, sed ea sola, quæ omnem jactantiam & operum Sanctorum fiducia occasionem abscindit, at justitia legis & operum, inani superbia Judæos & Gentiles inflat, non est igitur vera justitia: contra Justitia Fidei hominem abjicit atq; efficit, ut omnia à Deo accepta referat, vera igitur est justitia.* Suffragatur Cornelius à Lapide ad h. l. *Hæc sententia, scribens, sternit omnium hominum superbiam, omnium cristas dejicit, omnesq; peccatores condemnat, omnes peccatores ira divinæ reos pronunciat & obnoxios, omnes mendicos & egentes Dei gratia, omnes supplices Deo facit.* Desinant nos proinde tantùm laceßere cum suâ justitiâ infusâ & inhaerente, quâ reverà cum Deo exoptulare possunt, & dicere cum illo Fratre suo Argentina: *Domine redde mihi quod debes,*

VIII, Manet igitur per aliam Justitiam nobis salutem obtingere non posse, nisi per solam justitiam CHRISTI, quæ nobis per fidem imputatur. Rom. IV. 5. *Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam,* Confer Psal XXXII. 1. Rom. IV. 7. 8. II. Cor. V. 19. Et quomodo justus Dei servus nos justificet, explicatur Esa. LIII. 11. nempè non infundendo justitiam, sed quia *iniquitates nostras ipse portavit,* hoc est, exponente Petro I Pet. II. 24. *Quia peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum illud, ut peccatis mortui, justitiæ viveremus; cujus vibicibus sanati sumus.* Et si igitur fide justificati verè renovantur secundum interiorem

rem

rem hominem, & novâ justitiâ inherente induuntur, novaq, illa justitia tanquam nova obedientia acceptatur, tamen, cum sit tantum inchoata, multis adhuc infirmitatibus permixta, & navis inquinata, per eam Deo non reconciliantur, nec vitam consequuntur æternam. *Omnes enim nos sumus ut immundus, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ* Esa LXIV. 6. Imperfecta autem justitia in Dei judicio non consistit. Bernardus Serm. V. de his verbis Esaiæ: *Nostra, si qua est humilis justitia recta forsitan, sed non pura, nisi fortè meliores nos esse credimus, quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter agebant: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruate mulieris: Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?*

IX. CAUSA EFFICIENS principalis nostræ Justificationis est Deus Pater, qui ex immensâ gratiâ & misericordiâ totius generis humani miseriam motus, Filium misit in hunc mundum, ut opus redemptionis, assumptâ carne humanâ, perficeret, Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Testantur id ipsum etiam alia Scripturæ S. dicta, quæ justificationem solius Dei gratiæ, bonitati, misericordiæ &c. tribuunt, Rom. II. 24. *Justificamur gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Rom. XI. 6. *Quod si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia: sin ex operibus jam non est gratia: alioquin opus jam non esset opus.* Eph. II. 8. 9. *Gratiâ salvati estis per fidem: & hoc non est ex vobis: sed Dei donum est. Non ex operibus, ne quis gloriatur* Confer Rom. V. 8. 9. Eph. I. 4. II. Tim. I. 9. Tit. III. 4 5. 6. 7. I. Pet. I. 3. I. Joh. IV. 9. 10.

X. Statuunt quidem etiam ipsi Tridentini Causam efficientem principalem gratuitam Dei misericordiam, sanctissimâ passione & merito Christi partam & acquisitam, rectè nobiscum Sess. VI. Cap. VII. ita tamen id faciunt, ut nec omnia omninò opera, sed ea tantum, quæ per naturæ vires fiunt, à justificatione excludant, nec initium ejus Deo & gratiæ ejus divinæ, sed homini per varios actus, fidei, timoris, spei, dilectionis,

B

nis,

nis, pœnitentiæ, propositi suscipiendi Sacramenti & propositi novæ vitæ atque observationis mandatorum Dei, se disponenti ac præparanti tribuant. Ita enim Concilii mentem explicat Bellarm. Lib. I. de Justif. cap. XIII. Idem Bellarm. Lib. I. de Justif. cap. XXI. ita inquit: *Justificatio gratuita non excludit opera, quæ dicantur concurrere ad justificationem ut dispositiones, vel ut merita de congruo, modò non tribuatur eis meritum de condigno.* Lib. item V. cap. XXII. *Potest, inquit, homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis.* Nec aliter Patres Tridentini in ipso Concilio sentiebant, qui tales actus præparatorios, cujusmodi sunt, peccati odium & detestatio, metus inferni & alia conscientiæ terriculamenta, ad gratiam recipiendam suo modo causam esse asseriebant apud Svav. Hist. Concil. Trid. Lib. II. p. 215. Franciscani autem ea volebant insuper apud Majestatem divinam proprio modo esse meritoria, ibid. p. 217. Et Hosiæ in proluxa suâ Confessione sat clarè Concilii mentem explicat, inquit enim, *Scholasticos meritum congrui inde extruxisse, quod apud Veteres quosdam alicubi legatur: Peccatores, bonis operibus ante justificationem factis, mereri remissionem peccatorum, & ipsam justificationem.* Quia verò contra meritum illud congrui & ex Scripturâ, & ex Patribus, præsertim verò ex Augustino, multa vera possunt opponi, dicit, *Synodum Tridentinam maluisse appellare præparationes, vel dispositiones ad gratiam, quàm meritum congrui.*

XI. Quanquam autem nullo modo negari possit, esse certum modum sive ordinem in verbo Dei nobis designatum & præscriptum, quo Deus utitur, cum hominem ad justificationem vult deducere. Oportet enim justificationem præcedere contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscientie agnoscentis iram Dei adversus peccata, ac detestationem peccatorum. Ad hos verò terrores necesse est ut accedat fides, quæ Deum propter Filium Mediatorem fiducialiter accedat, quærat, desideret, petat & apprehendat remissionem peccatorum, ne oppressi desperatione, ruamus in
ater.

æternum exitium. Si itaq; Pontificii vocabulo preparationis non abuterentur, sed juxta ductum S. Scripturæ interpretarentur, quæ jubet, *ut viam præparemus Domino*, Esa. XL. 3. Matt. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4., & ea, quæ justificationem dicuntur præcedere, non propriis viribus, sed gratiæ Dei & operationi Spiritûs S. tribuerent, non refragaremur, libenterq; unâ cum ipsis vocabulo preparationis uteremur. Nos enim hoc saltem negamus, poenitentiam s. contritionem, imò & fidem ipsam cum omnibus suis actibus præcedere tanquam meritum, sive de congruo, sive de condigno, ut ipsi Pontificii loqui amant, scilicet quòd suâ dignitate cooperentur ad consequendam justificationem. Sicut enim sensus morbi aut vulneris, non est meritum sanationis, sed urget & impellit ad desiderandum, quærendum & suscipiendum medicum, *Sani enim non egent Medico, sed agroti*, inquit Christus Matt. IX. 12. ita etiam Lex urget & impellit ad quærendum medicum Christum, Gal. I. I. 24. Rectè Augustinus lib. de Fide & operibus c. XIV. ait: *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Excludit itaque gratia à justificatione omnia opera, etiam fidem, cum ut opus consideratur, ut & reliquos motus fidei, qui ex fide pendent. Augustinus in Psal. XXXI. *Si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur mala: si quod debetur, Deus istis operibus redderet, utiq; damnaret. Non tibi Deus reddit debitam poenam, sed donat indebitam gratiam.*

XII. CAUSA MERITORIA sive promerens Justificationis nostræ est ipse æternus Dei Filius Θεός, Ἰσως Θεός, qui perfectissimâ suâ justitia atque satisfactione, iratum Patrem placando, nobis eandem promeruit. Esa. LXIII. 3. I. Joh. II. 12. Ipse nobis aditum Deum Patrem accedendi patefecit Joh. n. XIV. 6. Rom. V. 1. 2. Ipse *Jehova justitia nostra* Jer. XXIII. 6. Cap. XXX II. I. I. Cor. I. 30. II. Cor. V. 21. *Redemptor noster* Osee XIII. 14. Act. IV. 12 I. Pet. I. 18. 19. idq; ex mera gratiâ, sine ullis nostris meritis Rom. III. 24. 25. 26. Tit. III. 7. Gal. II. 16. *Ipse nos a maledictio legis liberavit.*

B 2

berm

beravit Gal III. 13. cap. IV. 4. 5. suâque passione & morte nobis remissionem peccatorum impetravit Esa. XLIII. 24. 25. Rom. IV. 25. Cap. V. 6. 7. 8. 9. *Ipse peccata nostra in se recepit Esa. LIII. 4. 5. seqq. & sanguine ejus mundamur ab omnibus peccatis Coloss. I. 14. 1. Joh. 1. 7.* Ob hanc itaque perfectissimam Christi satisfactionem & meritum, Pater credentibus non imputat peccata ipsorum Phil. III. 9. *Hanc igitur sanctissimam (juxta Anselmi dictum) mortem Domini nostri Jesu Christi, fide interponere debemus inter peccata nostra, & inter iram Dei, quando petimus remissionem peccatorum.* Sic enim Anselmus ad Fratrem moriturum: *Age ergo, dum in te est anima tua, Christo semper gratias, & in hac sola morte totam fiduciam tuâ constitue, eiq; te totum involve. Et si te Dominus voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me, & te & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod merueris damnationem, dic: mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me, & mala merita mea: ipsiusq; dignissimæ passionis meritum affero pro merito, quod ego habere debuissim, & heu non habeo.*

XIII. Inficiantur tamen etiam hancce sacratissimam Christi satisfactionem & meritum Papani (Mercenarii) dicentes, *Christum meruisse nobis tantum infusionem charitatis, ut inhaerentis hujus charitatis vi & potentia, ipsi peccata expellere & extinguere possimus:* Sic enim Andradius Concilii Tridentini Interpretes loquitur. *Juxta sententiam igitur Pontificiorum, qui remissionem peccatorum accipere cupit, non debet interponere inter peccata sua & iram Dei satisfactionem Christi, sed inhaerentem suam charitatem, & tum certo credat, sibi Deum placatum, quando charitas peccatum ita expulerit & extinxerit, ut omne ejus vestigium in homine abolitum sit. Sed merito nos quarimus, ubi hoc scriptum est? Ubi Scriptura ita loquitur, aut ad talem nos ducit viam? aut è quânam lacuna, obtestamur vos! opinio hæc hausta? ubi hæc de re in Scriptura S. unicum exemplum aut testimonium? Ineptè certè, juxta opinionem vestram, egit David, conscientiae stimulis actus, clamans*

mans Psal. LI. 1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.* Nonne juxta vos dicendum potius fuisset? Secundum magnam justitiam aut charitatem meam? Frustra etiam Christus vocat Matt. XI. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos* Utinam jam aliquando ad saniolem mentem rediretis, ipsamq; veritatem coelestem oppugnare cessaretis, praesertim toties jam Scripturae S. apertissimis dictis convicti!

XIV. CAUSA OFFERENS & OBSIGNANS Justificationis nostrae est ipse SPIRITUS SANCTUS, qui nobis per ministros Ecclesiae praedicatione verbi divini media offert, Dan. XI. 3. Matt. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. 16. I. Tim. IV. 16. ut per auditum verbi fides in nobis excitetur Rom. X. 17. atque sic per illam, mediante ejus gratia, meritum Christi possimus apprehendere nobisque applicare, ac subortis tandem tentationum procellis, sola vulnerum Christi recordatione refocillari. Ut autem de salute nostra eo certiores reddamur, ipse etiam Spiritus S. intercedit pro nobis apud Patrem gemitibus inenarrabilibus Rom. VIII. 26. *clamat in nobis* Gal. IV. 6. *est arrhabo salutis nostrae* II. Cor. 1. 22. cap. V. 5. ut certo credamus, Deum nobis esse propitium nosq; in filios & heredes vitae aeternae adoptasse, Rom. VIII. 16. 17. tandem fiduciam hanc, virtute verbi in nobis accensam, Sacramentis tanquam sigillis obsignat & confirmat Eph. I. 13. 14. cap. V. o. I. Pet. III. 21.

XV. Inde igitur sat luculenter constat, nos firmiter credere debere, Deum nobis certo propter meritum Christi peccata remisisse, quapropter de salute nostra nequaquam dubitare debemus. Nam 1. argumentamur: Quicumq; obsignatur Spiritu S., & accipiunt arrhabonem Spiritus in corda sua, illi nullatenus de salute sua dubitare debent. Atqui credentes &c. Ergo. Minor satis patet ex supra citatis dictis. Major probatur: Quia vocabulum arrhabo & verbum obsignare usurpantur de iis rebus, quae firma & indubitata esse volumus, & quidem in hunc finem adhibentur, ut omnis haesitatio & dubitatio removeatur.

XVI. *Secundò argumentamur*: Quicumq; certâ animi persuasione, plenâ fiducia, indubitanter & sine trepidatione credere debent, illi de suâ salute coram Deo dubitare nec debent nec possunt. Atqui renati sive credentes certâ animi persuasione &c. Ergò. Major satis evidens est; quia firmiter credere & dubitare sunt opposita, adeoq; simul stare nequeunt. Minor probatur: Rom. IV. 20. 21. *Ad promissionem Dei non hesitabat ob incredulitatem: sed robustus factus est in fide, tribuens gloriam Deo: certâ persuasione conceptâ, quòd is qui promiserat, idem potens esset & prestare.* Heb. XI. 1. *Fides est certa persuasio, & certitudo, de iis quæ sperantur: & certa inductio animi de iis quæ non cernuntur.* Confer Psal. XXIII. 4. Psal. XXVI. 1. Psal. XXXI. 1. 25. Rom. V. 1. 2. Cap. VIII. 38. 39. 1. Cor. II. 12. II. Cor. XIII. 5. Eph. III. 12. Col. II. 2. Heb. III. 6. cap. VI. 17. 18. 19. 20. cap. X. 23. Jac. I. 6. I. Pet. I. 13. I. Joh. III. 14. cap. IV. 13. cap. V. 14.

XVII. *Tertiò argumentamur*: Quicumq; dubitat, ille I. Deum facit mendacem, II. Veritatem promissionum divinarum annihilat, III. Vim Sacramentorum, sanguinis Christi & precum evertit, IV. Christi juramentum, quod nostrum est firmamentum, vertit in perjurium, & V. seipsum in desperationis barathrum præcipitat: Atqui peccator (juxta Pontificios) dubitare debet, Ergò. Minor non indiget probatione, cum hæc sit apertissima Pontificiorum doctrina, ut infra videbimus. Major probatur per singula membra: Quâ I., I. Joh. V. 10. *Qui non credit Deo, Deum mendacem facit, quia non credit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. Testimonium autem Patris de Filio est, ut omnis qui credit in eum habeat vitam æternam* Joh. III. 16. Quâ II., Joh. III. 18. *Qui credit in eum non condemnatur; qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.* Sequitur itaq; qui dubitant de hac promissione, illi non credunt, & consequenter veritatem hujus promissionis in dubium vocant. Quâ III., Marc. XVI. 16. I. Joh. I. 7. Jac. I. 6. 7. *Qui ergò credunt se esse baptizatos, sanguine Christi mundatos, & preces suas exauditas, dubitant tamen, illi id quod credunt non credunt.* Quâ IV. &

& V., Ezech. XXXIII. II. Joh. XVI. 23. 24. Qui de hoc juramento dubitant, illi Christum mendacii arguunt, & dum promissioni ejus non credunt, à tentationum procellis obruuntur, inq; profundissimum desperationis labyrinthum sese præcipitant, & ex desperatione in barathrum æternæ tristitiæ præcipientes ruunt. Augustinus in Psal. LXXXVIII, ita inquit: *Hoc dixit Deus, Hoc promisit, si parum est, hoc juravit. Quia ergò non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.* Et Tertullianus ait: *O felices quorum causâ Deus jurat! O miserrimos, si ne Deo quidem juranti credere vultis!*

XVIII. Dulcissimas hasce consolationes sceleratè nobis dubitatione suâ depravare & eripere conantur Pontificii. Sic enim Patres Concilii Tridentini Sess. VI. cap IX. *Non esse asserendum, oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ulla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificados.* Item Sess. VI. Cap. XIII. Can. XIII. inquit: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certò & absq; ulla hesitatione, propria infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.* En doctrina Christi, Prophetarum & Apostolorum anathematis fulmine percutitur! Sunt tamen etiam inter ipsos Pontificios, qui turpitudinem & abominationem istius dogmatis, non tantùm detestati sunt, sed & publicè improbârunt: ut ipse Gropperus. Extant etiam hac de re duo Adversaria scripta Ambrosii Catharini & Dominici à Soto, quæ ostendunt illis ipsis Patribus, qui Tridenti congregati fuerunt, non convenisse de flagitioso isto dogmate, quòd fides debeat esse dubitatio.

XIX. Pro stabiliendâ suâ sententiâ, proferunt quædam S. Scripturæ dicta; nos tamen illa tantùm, quæ ipsis palmaria videntur, examinabimus. Primum producunt ex Eccles. IX. 1. *Nescit homo, utrum odio, vel amore dignus, sed omnia in futurum servantur incerta, eò quod universa equè eveniant justo & impio.* Verùm Resp. Si de gratia Dei ibi sermo est, tùm locus hic aut

intel-

Non ubi
C

intelligitur de diversis hominibus, aut de eodem. Si de diversis, tunc sensus est, quòd Homo, licet sapientissimus certò de proximo pronunciare nequeat num sit in gratiâ aut odio. Ratio in textu additur; quia homo tantum videt externa, non autem interna. Siquidem nemo, præter Deum, corda scrutari potest, ac proinde de nemine certò sibi polliceri potest, ipsum esse in gratiâ aut odio. Si de eodem Homine intelligatur, non accipienda absolutè, sed limitatè; Hominem scilicet nescire, an sit sub gratia, si iudicium velit facere ex eventibus externis. Addit enim Salomon rationem; quia omnium eventus unus est. Ex eventibus igitur externis iudicium nequit institui, cum omnia pariter eveniant. Sequela igitur est sine tutelâ: Ex eventibus non potest cognosci, Ergò fides etiam ex verbo Dei non debet esse certa. Ad hunc locum egregiè Bernhardus Serm. V. in dedicat. respondet: *Quis poterit salvus esse? dicunt Discipuli. Et apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore vel odio? Quis novit sensum Domini? Hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est. Hic oportet succurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reveletur, & Spiritus ejus testificans, persuadeat Spiritui nostro, quòd Filii Dei simus: persuadeat autem vocando & justificando gratis per fidem.*

XX. Secundò objiciunt locum I. Cor. IV. 3. 4. *Nihil mihi conscius sum. Qui autem me judicat, Dominus est.* Hinc Beccanus in Manuali suo Controversiarum Lib. I. p. 437. eò impudentiæ progressus, ut ratiocinari auderet: *Si Paulus fatetur, nec se, nec quenquam aliorum hominum scire, an ipse sit fidelis dispensator mysteriorum Dei: sanè & nos fateri debemus, neq; nos, neq; alium quenquam de seipso scire, an sit justus & amicus Dei.* Sed ut Resp. ad locum cit. Dicimus, I. Paulum ibi nequaquam agere de Justificatione quæ per fidem donatur, sed de justificatione quæ fit ex operibus. De hac autem non tantum dubitat, sed disertè dicit: *In hoc non sum justificatus.* Rationem addit vers. 4. *Quamvis conscientia ipsum non accuset, & coram homini-*

minibus sit irreprehensibilis, tamen coram iudicio Dei hanc suam
justitiam se non posse consistere. II. Non immerito quaerimus,
qui Becanus affirmare audeat, Paulum dubitasse de salute sua,
cum expresse de firmitate fidei suae testetur Rom. VIII. 38. 39. *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos separare a dilectione Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.* II. Tim. IV. 7. 8. *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest, reposita est mihi justitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illo die qui est justus iudex: non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ipsius.* Inde ergo sat manifeste patet, Paulum de salute sua nullatenus dubitasse.

XXI. Sunt & alia loca quae nobis a Pontificiis objiciuntur, puta Joel. II. 14. Jonae III. 9. I. Cor. X. 12. Ps. II. 11. 12. Phil. II. 12. Sed ut in genere & breviter ad singula Resp. dicimus nullam inesse difficultatem, quod ex inspectione antecedentium & consequentium patet: *partim* n. agunt, non de gratia Dei in salutis nostrae aeternae negotio considerata, sive remissione peccatorum, sed saltem de condonatione poenarum temporalium: *quaedam* monent, ne temeritati seu securitati & peccatis frenum laxemus, pollicentes nobis vanam persuasionem quodlibet etiam facientibus gratiam favoremque Dei: *partim* agunt de timore non *servili*, sed *filiali*, qui cum $\pi\lambda\eta\rho\phi\omicron\rho\rho\rho\rho$ fidei non pugnat, sed probe consistit; inculcant itaque potius studium peccata vitandi & pie vivendi, quod est, *respectu Dei* filialis Reverentia, quam praecipua ipsius servamus, *respectu Diaboli*, vigilantia, opposita Epicurae securitati, quam fides suffocatur, Spiritus S. contristatur, & gratia Dei deperditur, *respectu carnis ac mundi* denique Prudentia, quam carnali superbiae & arrogantiae capistrum injicitur, ne fiducia donorum a Deo acceptorum insolescamus, sed totam a sola Dei gratia & misericordia pendeamus, constanter operam dantes, ne illam unquam excidamus.

XXII. Hic tamen nemini mirum videri debet, Pontificios tantopere propugnare doctrinam dubitationis de salute

C

211-

æterna, cum tota ipsorum vita & doctrina nil nisi lernam dubitationum foveat: siquidem ex operibus justificari satagunt, quæ cum perfectè præstare nequeant, hinc prodeunt dubitationum procellæ, hinc horror conscientia. *Maledictus enim omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Lege, Gal. III. 10. Qui non ex fide, sed quasi ex operibus sectantur justificationem, ad eam non perveniunt, Rom. IX. 31. Evacuati estis, à gratia excidistis qui in lege justificamini, Gal. V. 4.* Qui igitur quis firmiter (per legem justificare volens) credere posset, se à Deo in gratiam receptum, cum ea, quæ Lex requirit, præstare nequeat?

XXIII. Meritò itaque Megalander noster Lutherus in Cap. XLI. Genes. dicit: *Etiam si nihil præterea peccatum fuisset in doctrinâ Pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratiâ & salute æterna, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus.* Qualis enim, Deum immortalem! est illa doctrina, cujus effectus, summa & finis est: ut anxie conscientia quærentes consolationem, conjiciantur in perpetuas hæsitaciones & dubitationes suæ cum Deo reconciliationis, remissionis peccatorum, salutis & vitæ æternæ? Tales certè dubitationis palæstras Philosophia & quævis Ethnicorum religio aperire potis est. Non immeritò igitur detestamur hanc dubitationis lacunam: nam quomodo quis de salute suâ fluctuans desperationem evitare posset? Rectè Hilarius dubitationem & incertitudinem cum ipsa fide & justificatione pugnare in V. Matt. pronunciat, inquiens: *Regnum cælorum, quod Dominus noster in se esse positum, est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, quod alioqui justificatio ex fide nulla est, si fide sit ambigua.*

XXIV. CAUSA INSTRUMENTALIS Justificationis nostræ ex parte nostra est SOLA FIDES, quæ est organon illud, per quod meritum Christi Redemptoris, quærimus, apprehendimus, recipimus & nobis applicamus Joh. VI. 40. *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

XXV.

*Alia ista sunt
sunt enim
quædam*



XXV. Est autem vocabulum *Fidei* planè Apostolicum, & significat I. *doctrinam Evangelii* in genere Rom. I. 5. II. *Prima capita doctrinae Christianae* Heb. VI. 1. III. *Cognitionem mysteriorum* divinatorum Rom. XII. 2. 3. IV. *Professionem doctrinae sonantis* in Ecclesia Rom. I. 8. V. *Fidem miraculorum* Matt. XVII. 20. I. Cor. XIII. 2. VI. *Conscientiam* per Evangelii doctrinam confirmatam II. Cor. I. 22. VII. *Constantiam & veritatem* in dictis & factis Jer. V. 3. VIII. *Fidem salvificam*, quæ unica salutaris est & justificans, juxta illud Hab. II. 4. *Justus fide sua vivet.*

XXVI. Communiter tamen *Fides* distingui solet: inter *Historicam*, (quæ credimus vera esse ea quæ in S. Scripturâ continentur, quæ fides etiam Diabolis tribuitur Jac. II. 19.) *miraculosam* Matt. VII. 22. I. Cor. XIII. 2. (ab hac tamen charitas separari potest) *mortuam* Jac. II. 26. (quæ est sine operibus, estque propria Hypocritarum, & nequaquam justificat) & denique *justificantem* (quæ tanquam mendicâ manu apprehendimus Dei beneficia, estque ex parte nostrâ unicum salutis nostræ instrumentum.) Hanc Paulus in Epistolis suis tantoperè extollit, & commendat, de quâ nos quoque nunc unicè agimus.

XXVII. Habet autem *Fides justificans* tres quasi partes: Prima est, *Notitia*, quæ credimus Deum: hæc fundatur in dicto Joh. XIV. 10. Ubi Christus ad Philippum ait: *Non credis, qui Ego in Patre, & Pater in me est?* Secunda, *Assensus*, quo credimus Deo: vers. 11. *Credite mihi, quia Ego in Patre, & Pater in me est. Alioquin propter opera ista credite mihi.* Tertia, *Fiducia*, quæ credimus in Deum: vers. 12. *Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ Ego facio, & ipse faciet.* Prima Fidei pars opponitur ignorantia Gentilium Esa. LXV. 1. Act. XVII. 30. Rom. XV. 20. Secunda, Impietati Prophanorum & Hæreticorum, veritatem divinitus revelatam pro Fabula habentium Act. XVII. 18. II. Pet. III. 4. 5. Tertia, Fidei Historicæ, fiduciâ carenti, quæ cadit in multos impios & desperabundos, imò & in Diabolos Jac. II. 19. qui omnes fide salvifica destituuntur, utut sibi polliceri habeant historicam.

XXVIII. Hanc *ρηγορικήαν* Fidei negant Pontificii, & tertiam eamque primariam Fidei partem, nempe fiduciam, omit-

tunt; ita enim habet Franciscus Toletus I IV. c. i. de casibus
conscientiæ: *Fides est assensus eorum, quæ per Spiritum S. Eccle-
siae revelata sunt, quatenus à Spiritu S. sunt.* Opponimus au-
tem ipsis talem Syllogismaum: Quod præter notitiam & assen-
sum etiam includit fiduciam, & certam animæ persuasionem in
peritis obtinendis, illud falsè definitur per solum assensum.
Atqui vox credendi non tantum notitiam & assensum, sed et-
iam firmam animæ fiduciam & persuasionem notat. E. Ma-
ior suâ luce radiat. Minor probatur ex exemplo Abrahami,
Gen. XV. 6. de quo dicitur, non quod tantum assensum præ-
buerit, sed firmiter etiam crediderit, id quod abundè satis li-
quet ex voce אָמַן hæc enim, ut constat ex Bibliis Hebraicis,
& Hebraicæ linguæ notitiâ, significat confisus est, est enim for-
ma Hiphil, à radice אָמַן nutrit, quod in Hiphil significat cre-
didit: Ergò credere non tantum est assentiri, sed etiam confi-
dere. Unde & precibus adjici solet in testimonium fidei.

XXIX. Nondum tamen Bellarmino satis stabilis vide-
tur nostra assertio, adhuc enim refugium quærit Lib. I. de Justif.
c. IV. dicens: *Fidem per fiduciam definiri non posse, cum in intelle-
ctu solum non voluntate sedem habeat; nulla autem qualitas possit
esse in duabus potentiis genere distinctis.* Verum fallit Hypo-
thesis Bellarminiana (de $\alpha\delta\nu\alpha\pi\iota\alpha$ unius qualitatis in duobus
subjectis) si accipiatur de unitate compositâ (ut alicubi inquit
Dannhaverus) & subordinatione: id quod discat ex suo Suare-
zio Disp. Metaph. XLIV. n. 55. 56. Audiatur etiam Instantias
à Libero Arbitrio, quod in intellectu est ratione arbitrii, in vo-
luntate, ratione liberi: a Pœnitentiâ, quæ est in corde, ratione
contritionis, in ore, ratione confessionis, in opere, ratione sa-
tisfactionis, juxta partes pœnitentiæ Pontificiæ: ab Oratione,
quæ secundum Thomam in II. 2. q. LXXXIII. art. I. est actus re-
ligionis practicæ, voluntatis desiderium explicantis, & ab alio ali-
quid postulantis.

XXX. Habet etiam *Fides justificans* suos Gradus, nam
non in omnibus est lux ardens, sed in quibusdam tantum li-
num fumigans. Sive alia est fortis Matth. VIII. 10. Cap. XV. 28.
Rom.

Rom. IV. 19. 20. alia *infirmata* Matt. VI. 30. Cap. VIII. 26. Marc. IX. 24. Luc. XVII. 5. Quamvis autem fides inæqualis sit *ratione graduum*, non solum apud distinctos credentes, sed etiam interdum apud unum fidelem temporibus distinctis; æqualis tamen est & manet apud omnes, partim *ratione objecti*, justitiæ videlicet Christi, quam amplectitur; partim *ratione virtutis* ad justificandum & salvandum, quam à Deo nanciscitur; partimque *gratuiti præmii*, quod consequitur.

XXXI. *Objectum* Fidei justificantis principale & primum non est illud, quod Heb. XI. describitur: *ut Articulus creationis, diluvium, occultatio Mosis, transitus maris rubri &c.* hæc enim ad fidem generalem pertinent, quâ credimus vera esse omnia quæ in Scriptura Canonica continentur Act. XXIV. 14. I. Thess. II. 13. sed hoc est proprium & principale objectum Fidei justificantis, (*in actu ipso jam apprehendenda & consequenda justificationis*) ut homo peccator divinis promissionibus *indubitata fide* assentiatur, atque firmiter credat, se à Dei gratiâ minimè exclusum, sed ob meritum Redemptoris Jesu Christi sibi remissa esse peccata, atque se in numerum civium vitæ æternæ adoptatum.

XXXII. *Finis* Fidei est Salus Animarum I. Pet. I. 9. *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.* Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Joh. VI. 47. *Amen, Amen dico vobis, omnis qui credit in me, habet vitam æternam.* Rom. VI. 22. *Nunc manumissi à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem autem, vitam æternam.* Hunc verò finem quomodo Fides assequi possit, videamus modum quomodo justificet, I. an quatenus est *relatio* meritum Christi respiciens, an quatenus est *qualitas* in nobis hærens: II. num *sola* id præstet, aut verò *cooperantibus* bonis operibus? *Prius* nos asserimus; *posterius* Pontificii.

XXXIII. Orthodoxorum sententiam quod concernit, dicimus solam fidem quatenus est *relatio* meritum Christi ap-

prehendens justificare, (relativè justificare, hinc nihil aliud est, quàm per suum correlatum justificare, fides namq; relativè justificat, hoc est, res credita, meritum Christi fide acceptum justificat) ita tamen, ut non omninò bona opera sequestremus, quasi fides in actu justificationis sit bonis operibus vacua, hæc enim fides mortua foret Jac. II. 26. Requiritur itaque ut necessaria, non quidem necessitate finis, meriti aut medii, sive acquirendam salutem spectes, sive conservandam; sed necessitate ordinis ac debiti, ita D. Hutterus, *sunt necessaria facta, sed non ad salutem* Form. C. p. 417. 432. Bona opera sunt via in regno, non via ad regnum; non conditio sine quâ non, aliàs Lex esset conditio Evangelii, & promissiones Evangelii conditionatæ essent. Hâc igitur ratione nos bona opera excludimus, ut non concurrant in eodem causandi genere, sed sola fides apprehendat meritum Christi. Hoc sensu etiam Apologia Augustanæ Confess. affirmat, *fidem, quæ est sine bonis operibus, non justificare*. Longè enim aliud est dicere, Fides, quæ sola est, justificat; & fides, quæ vel quatenus sola est, justificat. Item: Fides, quæ per charitatem operatur, justificat; Et fides, quatenus operatur per charitatem, justificat. Nam particula *Quæ* describit formam agentem, quâ mediante subjectum exercet suas operationes, ut cum dico, ignis, quatenus est calidus, urit; homo, quatenus est rationalis, discurret. Fides autem non justificat, quatenus per charitatem operatur & bona parit opera, ita enim major, aut saltem æqualis virtus charitati tribueretur, eaquæ esset principium primum & radix justificationis; sed quia Christum apprehendit, *qui est impletio Legis ad justitiam omni credenti* Rom. X. 4. Neque etiam sequitur, ea quæ arctissime invicem conjuncta sunt, ut separari nequeant, eodem modo ad effectum producendum concurrere, quod Bellarm. urget Lib. I. de Justif. cap. XIV nam & aures oculis conjunctæ sunt, neq; tamen aut oculi ad audiendum, aut aures ad videndum quicquam faciunt.

XXXIV. Nos verò SOLA FIDE justificari probabimus uno atq; altero argumento: Sit itaq; *Primum*: Quâ ratione Patres

tres

tres V. T. justificati sunt, eadem & nos justificamur. Atqui Patres V. T. justificati sunt sola fide. Ergo. Major probatur Act. XV. 11. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvari, quemadmodum & Patres nostri.* Minor probatur: Gen. XV. 6 Rom. IV. 3. Gal. III. 6. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.* Ubi non est, ut Pontificii excipiant, dicantq; Paulum loqui de Justificatione prima, quâ homo ex injusto fiat justus, hancque denegare operibus, non de secunda, per bona opera, quâ homo justus fiat justior. Apostolus enim I. non loquitur de Justificatione inhærente, sed eâ, quæ in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi ponitur Rom. IV. 5. 6. 7. 8. quia justificationem non adscribit charitati, sed fidei. II. Nec loquitur Paulus de justificatione illâ primâ, quando Abraham vocatus erat ex Ur Chaldæorum Gen. XI. Jos. XXIV. sed de illa justificatione, quando jam in terrâ Canaan constitutus per aliquot annos Deo obedivit à cap. XI. Gen. ad XV., & postquam jam fuerat ornatus multis ac præstantissimis fructibus bonorum operum: tum ipsum fide justificatum fuisse Apostolus asserit, in quâ fide etiam, ut & alii Patres, mortuus est Heb. XI. 13.

XXXV. *Secundum* argumentum: Cuicunq; rei in actu Justificationis Scriptura S. gratiæ Dei consecutionem & meritum Christi apprehensionem, sive justificationis adeptionem adscribit, per illam utique solam justificamur. Atqui soli fidei S. Scriptura justificationis adoptionem adscribit. Ergo sola fide justificamur. Major sole meridiano clarior, nec indiget probatione. Minor probatur: Rom. III. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Rom. IV. 5. *Ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Gal. II. 16. *Quoniam scimus non justificari hominem ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Jesum Christum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro.* Confer Jer. V. 3. Luc. VII. 5. cap. VIII. 48. 50. Joh. II. 36. cap. VI. 47. Cap. XX. 29. 31. Act. XIII. 39. Rom. III. 20. 22. 30. cap.

30. Cap. IX. 30. 31. Gal. II. 20. cap. III. 2. 5. 8. 11. 14. 24. Eph. II. 8. 9. Ubi iterum Pontificiorum distinctio, inter justificationem primam & secundam, locum habere nequit, quia in locis allegatis S. Scriptura simpliciter justificationis consecutionem operibus derogat, eamque soli fidei adscribit. Evincit id ipsum quoque *Galatarum Disputatio*, non enim ipsis quaestio erat de operibus *ante*, sed *post* conversionem praestitis, num illa justificent? His itaque operibus Paulus prorsus justificationem adimit. Hinc igitur patet, distinctionem Pontificiorum non nisi figmentum in Scholastico cerebello natum esse, ipsiq; S. Scripturae planè ignotam, imò contrariam.

XXXVI. Nec abs re erit, si hinc nervum incidamus iis, quae Bellarminus Lib. I. de Justif. c. XIX. incrustare meditatatur, cum inquit, *Per opera, quae fidei opponuntur, & à justificatione excluduntur, intelliguntur opera, quae fidem praecedunt, quaeq; solis liberi arbitrii viribus fiunt?* Et Conzen; *Opera legis dicuntur omnia opera à lege praescripta, ut Lex distinguitur à gratia, atq; illi opponuntur: non autem opera supernaturalia, opera à fide, spe, charitate profecta, opera gratiae.* Nam non tantum opera Legalia, sed & alia omnia, quocumque tandem nomine veniant ex justificationis nostrae circo eliminamus, ac pro sententia nostra stabilienda adducimus *Epistolam ad Romanos*, in qua si terminum ad quem, scopum & mentem Apostoli, naturam operum, & collationem parallelam loci ad Tit. III. 5. & Rom. VIII. 3. intueare, sententiae nostrae veritas clarissimè innotescet, removetur enim omnia opera, etiam facta *ἐν δικαιοσύνη*, quorum perfectioni carnis infirmitas obstabat; imò illa quoque opera eximuntur, ad quae, non ex quibus, aut per quae justificamur Eph. II. 9. 10. sed quae Deus preparavit, ut in illis ambulemus, satis indicans, opera justorum non ingredi forum justificationis, sed ad fidem justificati pertinere.

XXXVII. Confirmant etiam nostram sententiam *exempla*: I. *Infantum*, quibus in baptismo fides donatur & infunditur juxta Bellarm. Lib. I. de Bapt. c. XI & addit *actu eos credere, & reipsa dum baptizantur.* Habent ergò fidem actualem, quam

quāvis non reflexam, Hab. II. 4. & *Adulorum* Baptizatorum, qui mox post Baptismum ex hac vitā excedunt. Infantes certē nulla bona opera adhuc præstiterunt, nemo tamen de salute ipsorum dubitat, præsertim cum Christus de ipsis expressè testetur, ipsos *credere* Matt. XVIII. 6. adeoq; *ipsorum esse regnum caelorum* Marc. X. 14. Et de Adulorum baptizatorum salute ecquis hæsitet, quia Christus disertè asseverat Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* II. Mors *Latronis* in cruce, hic utiq; nihil boni in vitā sua fecerat, sed tamen cum ante obitum verā fide meritum Christi apprehendisset, beatificam hancce vocem ex ore Salvatoris audivit: *Hodie mecum eris in Paradiso* Luc. XXIII. 43.

XXXVIII. Pontificiorum sententiam quod concernit; dum advertunt se Scripturæ S. clarissimis dictis profligatos, omnemque calumniandi ansam sibi præclusam, ne omninò mutis, ut ajunt, piscibus similiores deprehendantur, (*licet agant contra conscientiam*) avidè arripiunt I. particulam SOLA, ob quam rabidorum canum instar in nos invehuntur, vociferantes, Lutherum per crimen falsi versionis Biblicæ, quam edidit Anno 1522. Rom. III. 28. interuisse vocabulum *ἄλλῃ*, cum tamen in S. Scripturā nusquam extet. Hinc Becanus in Manuali Theol. Controv. p. 418. hunc in modum ratiocinatur: *Nihil ab Adversariis debet asseri, præsertim in rebus ad salutem spectantibus, nisi habeatur in Scripturâ, ut ipsi contendunt: At nusquam habetur in Scripturâ solam fidem justificare: Ergò hoc non debet asseri ab adversariis.*

XXXIX. Resp. Majorem limitandam esse hoc modo: Nihil ab Adversariis debet asseri, præsertim in rebus ad salutem spectantibus, nisi habeatur in Scripturâ S. vel *quoad τὸ πρῶτον* vel *κατὰ διάνοιαν*. Hæc ratione negamus Minorem, quamvis enim non habeatur *κατὰ τὸ πρῶτον*, habetur tamen *κατὰ διάνοιαν*. v. g. quando Rom. III. 28. dicitur *Justificari nos fide, sine operibus legis*, idem certè est cum eo, quod Gal. II. 16. dicitur, *nos non justificari, ἐὰν μὴ nisi per fidem Jesu Christi*: nam quid interest inter hæc: *justificari non nisi per fidem, & sola fide justificari?* Quivis igitur

D

par-

palpare potest, hæc sibi nequaquam contrariari, sed *ἰσοδοξα-
μῶν* esse. Exinde enim argumentari promptum est: Aut per
solam fidem justificamur, aut per fidem & opera simul. Non
posterius. Ergò prius. Confer alia loca, ubi exclusivæ hæc repe-
riuntur: Rom. III. 20. Cap. IV. 5. Gal. III. 11. Eph. II. 9.

XL. Lutherum quod spectat, dicimus ipsum in eo mi-
nimè peccasse, quia textum Græcum (*tanquam authenticum*)
non depravavit, sed inviolatum reliquit: Quod autem versio-
ni Germanicæ inseruerit particulam *Allein* / sequutus in eo est
idiotismum Linguæ Germanicæ, quæ duabus rebus propositis,
dum una negatur, altera affirmatur, solet adhibere vocabulum
Allein / E. gr. *Der Bote hat nur brieffe gebracht / und nicht B. id /*
id rectè effertur h. m. *Der Bote hat Allein brieffe gebracht / & sic*
in aliis. Distingvimus tamen hîc meritò inter *Paraphrasten* &
Metaphrasten. *Hujus* est, sectari numerum dictionum, atq; o-
mnia de verbo ad verbum reddere. *Illius* verò sensum & em-
phasin verborum accuratè exprimere, ut Flaccus canit: *Nec*
verbum verbo curabit reddere fidus interpret. *Paraphrasten* itaq;
Lutherus egit, non *Metaphrasten*.

XLI. Nec ipsa etiam S. Scriptura ab hac particula ab-
horret, nam quod Deut. VI. 13. 14. dicitur: *Non ibis post Deos alie-
nos, sed Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi servies*; hoc Chri-
stus Matt. IV. 10. ad notandam emphasin, ita reddidit; *illi soli ser-
vies*. Sic quod Deut. IV. 35. refertur; *ut scias, quod Dominus est*
Deus, & non est alius, præter eum; id Deut. XXXII. 39. per exclusi-
vam exprimitur: *Videte, quod ego sim solus*. sic dictum Salvato-
ris Marc. XIII. 32. *Nemo novit, nisi Pater*; apud Matthæum cap.
XXIV. 36. sic legitur: *nisi solus Pater*.

XLII. Nec desunt aliæ versiones, quæ hanc Lutheri ver-
sionem calculo suo comprobant, putà *Syriaca, Græca, Latina,*
Germanica, Italica. Habet enim sua quævis lingua peculiaris
privilegia, ut quod una lingua non admittit, altera elegantissi-
mè oculis sistere possit. Sic *Syriaca* Rom. IV. 5. exclusivam adjit,
vertens; *Ei, qui non operatur, sed tantum (בְּלִחוֹר) credit &c.*
Græci LXX. Interpr. locum Gen. III. 11. hoc pacto reddunt: *Edi-
sti de*

sti de ligno, de quo praeceptum, τὰς μὲν μὴ φάγειν, ex hoc solo non comedes. Quae exclusiva in fonte non habetur. Versio Latina in multis locis majoris emphaseos, ergo immiscet tantum & solum, ut Lev. XXI. 2 Deut. VI. 15. I. Sam. X. 19. & plurimis locis aliis. De Germanicis Bibliis ante Lutherum excusis testatur magnus ille Theologus B. Menzerus (in Exegeti Aug. Confess. Art. IV. p. 182.) se vidisse Confluentiae in Bibliotheca Jesuitarum antiqua Biblia Germanica, in quibus Rom. III. particula exclusiva extiterit, *Alein durch den Glauben/ ohne die Werck der Sbel* per quam ultimam voculam Veteres Germani intelligebant legem. In Bibliis Italicis excusis Venetiis Anno 1546. verba Gal. II. 16. per exclusivam manifestè sunt expressa, *quod Homo justificetur per solam fidem Jesu Christi*.

XLIII. Nec deest Patrum Auctoritas, nimirum *Justini* in Ep. ad Diognetum, *Irenaei* Lib. IV. cap. 13., *Origenis* in cap. III. ad Rom. *Hilarii* Lib. VI. de Trin., *Basilii* Homil. de Humilit., *Ambrosii* in cap. I. prior ad Cor., *Hieronymi* in cap. IV. & V. Rom. *Chrysostomi* in cap. III & VIII. ad Rom. in cap. II. & III. ad Gal. Homil. IV. in I. Tim. I., *Augustini* Serm. LXVII. de temp. in Psal. 88. Tract. XLII. in Joh., *Theodoretii* in cap. III. Rom., *Gennadii* in cap. II. Rom., *Hesychii* in cap. XIV. Lev., *Beda* in Psal. LXXVII., *Theophylacti* in cap. III. Gal., *Bernhardi* Serm. XXII in Cant. Ep. 77., *Lyra* in cap. III. Gal., *Primasii* in cap. IV. Rom. *Glossæ Ordin.* in cap. III. Rom. & cap. II. Jac. Hinc *Erasmus* verè; *Vox SOLA tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero, reverenter auditur & legitur in Patribus.* Sic exclusivam retinent & probant ipsi quidam D. Pontificii, *Thomas* in cap. I. Tim. I. lect. 3. *Bonaventura* in IV. sent. dist. XV. q. 1. *Roffensis* Art. I. adv. Luther., *Johan. Hoffmeisterus* in Harm. A. C. pag. 46. *Georg. Cassander* in Consult. Art. IV. Reperitur etiam in iplo *Jure Pontificio*, dist. II. de Pœnit. cap. Charitas, & de Consec. cap. Firmissimè. Tantum de particula SOLA.

XLIV. Secundò assumunt rabulæ Romanenses dicta Scripturæ S., in quibus mentio fit vocabuli *mercedis*, ut Matth. XX. 8. ubi *Operariis jubetur reddi merces*; & Apoc. XXII. 12. *Merces*

ces mea mecum est, reddere unicuique, prout erit opus ejus. Hinc itaque colligunt; Si jubetur dari merces, & Christus quoque reddet unicuique mercedem prout erit opus ejus, necessario sequitur dari aliquod meritum.

XLV. Resp. Has quoque sagittas veritatis clypeo excipere & profligare haud difficile est. Distingv. enim hic inter *mercedem meriti*, & *mercedem gratia*. Sive, inter *mercedem propriè* & *impropriè* sumtam. Merces *propriè* sumta est retributio quaedam justa & debita, ubi inter mercedem & laborem sive opus est congrua proportio Rom. IV. 4. Hoc sensu nec vita aeterna, nec ejus gloria est merces Rom. VIII. 18. merces *impropriè* sumta est gratuita compensatio, dependens non ex laborantis dignitate, Luc. XVII. 10. *Sic & vos quum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Sed ex dantis & promittentis benignitate Gen. XV. 1. *Ne timeas Abraham, ego clypeus sum tibi, & merces tua ampla valde.* Hoc sensu unâ eademque significatione accipitur vox *gratia* & *mercedis* Psal. CXXVII. 3. Matt. VI. 1. Luc. VI. 32. In his igitur locis cit. tantum agitur de mercede *gratia* & *impropriè* sic dicta, non de mercede *meriti* & *propriè* sic sumta. Hoc probo: Quia in *priori* loco scopus parabolæ id luculenter nobis aperit: Nam si merces reddi juberetur propter opera, inaequalibus operibus, inaequalis merces reddi debuisset: sed parabola testatur, inaequalibus operibus, aequalem fuisse datam mercedem, Ergo utique ex gratia, & non ex merito merces reddita est. Et quid multis? *Theologia Allegorica sive parabolica non est argumentativa.* In *posteriori* verò loco dicimus non denotari dignitatem ullius meriti, sed tantum retributionis sequelam, & quidem talem, quæ sese non solum ad pios extendit, sed etiam ad impios, adeoque ad impios omnes, ne uno excepto. Nec dicitur *propter opera*, sed *prout erunt opera* ejus. Nihil itaque aliud verba textus innuunt, quam, si diceret Christus: Gratuita praemia illis distribuam, qui fideliter mihi servierunt, ac fidem suam bonorum operum testimonio confirmarunt. Contrà verò impios & impenitentes poenis afficiam promeritis. Egregiè hoc illustratur exem-

exemplo eorum, qui functionem ambiunt, omnes afferunt sua testimonia, qui optimum habet, conditione potitur; ubi testimonium non est causa efficiens promotionis, quæ competit eruditioni & donis necessariis, sed duntaxat signum.

XLVI. Exinde tamen oppidò inferre non licet, nos omnem retributionem & præmium in futurâ vitâ consequendū & accipiendum operibus nostris derogare; hoc enim non negamus, modò ipsis non tribuatur meritum, sed solius Dei gratiæ meritoq; Christi id acceptum feratur. Dicimus igitur in reconciliatis bona opera cum placeant (*bona reatorum opera placent Deo, non placant*) fidē propter Mediatorem, habere præmia spiritualia & corporalia cum in hâc vitâ, tum post hanc vitam; idq; gratuitâ Dei promissione: non quod Deus propter perfectionem & dignitatem nostrorum operum, sit debitor: sed quia ex misericordiâ & paternâ liberalitate, propter Christum, se præmiis ornaturum promisit quamvis inchoatam, languidam, imperfectam, & immundam filiorum suorum in hâc vitâ obedientiam. Faciunt huc dicta I. Tim. IV. 8. *Pietas habet promissionem presentis & future vite.* Matt. V. 12 Luc. VI. 23. *Merces vestra erit copiosa in cælis.* Luc. XIV. 14. *Retribuetur tibi in novissimo die.* Dum itaq; vita æterna in Scripturâ S. vocatur merces, intelligenda sunt præmia *accidentalìa*, non *essentialia*, sic enim vita æterna est *χαρισμα* & *Θεσ* Rom. VI. 23. Distingv. ergo hîc meritò inter cælum ipsum, sive vitam æternam, & inter mercedem gratiæ, sive gradus vitæ æternæ. Si ergò Scriptura S. vitam æternam aliquando vocat mercedem, aliquando gratiam, non est utiq; merces meriti, sed merces gratiæ, & per consequens non datur pro meritis bonorum operum, sed ex gratiâ. Augustinus in Ps. CIX. inquit: *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Quicquid promisit, indignis promisit, ut non quasi operibus merces promitteretur, sed gratia à suo nomine gratis daretur.*

XLVII. Ultimò tandem ubi animadvertunt Pontificii se omnibus armis exutos, præsidium quærunt in Scripturæ S. locis obscuriusculis & intricatissimis, maluntq; ex Epistolâ Jacobi,

quæ tamen de justificationis declaratione tantum agit, quam ex Epistolis Paulinis, ubi de isthoc dogmate ex professo agitur, disputare, imò si possibile foret, eas prorsus ex pomœrio Ecclesiæ eliminare & excommunicare non dubitarent: Nulli enim dubitamus, unanimem ipsorum sententiam hanc esse, quæ fuit cujusdam Episcopi, qui, Wolfio Centur. 16. Histor. memorab. p. 623. referente, hancce blasphemiam evomere non abhorruerat: *Scitisne, inquit, quid ego cum Epistolis Pauli agerem, si eas solus haberem? sub rosa dictum sit, in ignem eas conjicerem. Ehem tunc dirutum omne Lutheranorum armamentarium foret.* Non immeritò certè mirari possumus Pontificiorum pertinaciam & insignem malitiam, ipsos tantoperè oppugnare Epistolas Paulinas, cum tamen horrenda comminatio Pauli omnes secus docentes spectet Gal. 1. 8. *Ceterum si nos, aut Angelus è cælo (arrige aures Papista) predicaverit vobis Evangelium præter id quod predicavimus vobis, anathema sit.*

XLVIII. Solent autem Romanenses in Epistola Jacobi præsertim cap. II. miros agitare triumphos, arbitantes, nos hoc unico capite profligari posse, dicitur enim v. 24. *videtis igitur, ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum.* Sed ut veritatem ingenuè fateamur, dicimus, Pontificios triumphum ante victoriam cantillare, quia, quod in Epistolâ Jacobi se invenisse putant, omninò non invenère: nam certò persuasissimum, impossibile esse ut Jacobus Apostolo Paulo contradicat, caderet enim hæcce contradictio in ipsum Spiritum S. per utrosq; Apostolos loquentem, atq; sic falsitatis crimen ipsi imputandum foret. Ast hoc statuere impium est, imò blasphemum. Loquitur itaq; Epistola Jacobi I. Non de Justificatione in conspectu Dei adhuc consequendâ; sed de demonstratione coram hominibus, jam tum per fidem obtentâ. II. Non considerat hominem justificandum in foro poli, quæ consistit in justitiâ fidè imputatâ; sed justificatum in foro soli, quæ consistit in justitiâ operum inchoatâ. III. Non agit cum iis, qui justificationis causam & modum ignorant; sed cum illis, qui justificationis modo cognito, illo ad carnis licentiam nequiter abuteban-

*Spiritus Sancti Gratia Apostolorum pectora
repleat sua, gratia domus iniqua generat*

bantur. IV. Non agit de fide internâ, verâ & justificante; sed de exteriori fidei professione & notitia historica. V. Non agit de fide in actu justificationis occupata; sed urget fidei exercitia in operibus pietatis. VI. Non agit de Justificatione internâ coram Deo; sed de externa, coram proximo. VII. denique, Non agit de Justificationis Causis; sed de ejus effectis & testimoniis.

XLIX. Cum itaq; Jacobus c.II.24. ait: *Ex operibus justificatur homo & non ex fide tantum*, non inconcinne interpretamur de Justificatione coram hominibus, non coram Deo; sive potius de declaratione & manifestatione justitiæ coram hominibus, quod clarissime apparet ex v.18. *Dicet quis, tu fidem habes & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Unde sensus emergit talis; nequaquam sufficere, ut quis ore jactitet, se habere fidem, sed & bonorum operum testimonio hanc fidei professionem esse comprobandam & fidei justitiam declarandam, siquidem fides sine operibus est mortua. Hanc interpretationem confirmat *Glossa Ordinaria* in h.1. & *Thomas Aquinas* in cap.III.Gal. Huc quoq; facit annotatio *Cardinalis Cajetani* in cap.II. Jacobi observatu dignissima: *Adverte, inquit, hęc prudens Lector, quod Jacobus non sentit, fidem absq; operibus mortuam esse, quoniam constat, nos justificari per fidem, etiam sine operibus, ut patet in infantibus baptizatis, & in adulto baptizato, & statim moreretur, sed sentit, fidem sine operibus, hoc est, operari renuentem, esse mortuam, esse vanam, & non justificare: Et recte sentit, quoniam fides, quæ non est parata operari, mortua est, suapte enim natura operatur per dilectionem, ut Paulus dicit. Cum hoc Ecclesiæ Rom. Cardinale Pontificii prius transigant, antequam nos invadant.*

L. Sed ne dicant nos contra Scripturam S. hanc interpretationem fingere, quod scilicet justificare apud Jacobum idem significet quod justum declarari; adducimus ex superabundanti loca Scripturæ S. ubi hæc interpretatio quoq; reperitur: *Psal.LI.6. Ut justificeris in sermonibus tuis, id est, ut justus agno-*

agnoscaris. Deus enim justificationis incrementum capere non potest, quippe qui est ipsa justitia perfectissima. Sic I. Tim. III. 16. *Filius Dei justificatus in Spiritu*, id est, justus declaratus. Huc apprimè etiam quadrat regula Theologorum: *Res sæpè tunc dicitur fieri, quando facta manifestatur sive declaratur.*

LI. Justus autem declaratur Homo coram sui similibus, & per fidem, & per opera simul, & non ex fide tantum, hoc est, non ex nuda fidei professione. Opera sola sine fidei professione non justificat, hoc est, verè fidelem Christianum arguunt: Nec sola professio fidei sine operibus justificat, sive justum & verè fidelem declarat. Sunt itaq; bona opera individua fidei salvificæ effecta & *νεσθηα*, quibus præsentibus fides salvifica adesse cognoscitur, deficientibus contra mortua esse deprehenditur: sicut boni fructus tempore debito præsentibus, arborem ostendunt esse bonam. Matt. VII. 20.

LII. Sed ut finem imponamus præsentis Disputationi nostræ, dicimus breviter: Nos ex mera Dei bonitate & misericordia justificari, qui nobis vera fide meritum Christi apprehendentibus peccata remittit, justitiam Christi imputat, atque in Filios & hæredes vitæ æternæ adoptat, ne autem dubitemus, ipse Spiritum S. dat in corda nostra, qui fiduciam in nobis accensam roborat, eandemque verbo & Sacramentis, tanquam sigillis obsignat atq; confirmat. Non itaq; justitia inhærente aut infusa, sed sola imputata justificamur, neque eam virium nostrarum meritis, sed ex sola Dei gratia consequimur, de qua gratia certissimi esse debemus, nec quicquam dubitare, promissio enim divina est fallere nescia. Te autem *Clementissime Deus*, ex intimis penetralibus cordium nostrorum invocamus, ut veram fidem in nobis excites, excitatam foveas atque conserves, Spirituq; S. Tuo in nobis obsignes, ut tandem Tuâ gratiâ justificati æternum salvemur, per Jesum Christum Redemptorem nostrum Amen!

SOLI DEO GLORIA,

Lang. VI. 5 1

ULB Halle 3
003 730 670



f

TA → d
neu 14 27 Stück verbleibend

Rino
V377







N. J. C. 8
 THEOLOGICA 7
 CATION.
 NIS PECCA
 DRAM DEO,
 nam
 premo Numine
 EMIA WITTEBERGENSI
 ESIDE
 DO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO,
 NTISSIMO
 IE MEISNERO,
 ge celeberrimo, ejusdemq;
 orum Electoralium Ephoro
 Academiae Rectore,
 o ac Promotore suo omni
 Itu perpetim devenerando,
 rum Disquisitioni
 jicit
 SERPILIUS,
 RO-UNGARUS
 espondens
 RIO MAJORI
 l. Vet. horis antemeridianis.
 BERGÆ
 RÖHNERUS, Academ. Typogr.
 1. DC. LII.
 d. Dno M.
 tino Pfeifer
 dilecto. mittet Johan Serpilis Jun